

nostrum concipiendi modum. Quemadmodum enim quod inter attributa divina non datur distinctio realis, non impedit, quo minus detur inter ipsa distinctio rationis, ita per hoc, quod in DEO non est prioritas realis, non tollitur prioritas rationis.

2. Quod autem attinet causam & effectum, notanda distinctio ex Cajetano *super. 1. post. c. 2.* Ubi *caussa*, inquit, *propter quam res est seu in essendo, dicitur dupliciter; quedam est verè & realiter causans (secundùm aliquod genus causalitatis) id, cujus causa dicitur, quæ & distinguitur realiter ab eo, cujus est causa, sicut rationalitas est causa risibilitatis; quedam autem est, quæ non tam est causa ejus, cujus causa dicitur, quàm ratio, quod illud inest, & non solum ratio, quod cognoscatur inesse, sicut omnimoda immutabilitas in DEO est causa suæ æternitatis: & immaterialitas (propèrè dicta) inventa in anima est causa suæ immortalitatis.* Et paulò post illam causam, quæ revera causat, appellat Cajetanus *causam in essendo formaliter*: illam verò, quæ solum est ratio, cur aliquid inest, appellat *causam in essendo virtualiter*.

3. Hinc respondeo, etsi in DEO non sit causa in essendo formaliter, quæ scilicet verè & realiter causet, neq; etiam in eo sit effectus (hoc enim si esset, daretur in DEO compositio) datur tamen aliquid in DEO, quod sit alicujus ratio à priori, quæ appellatur causa virtualiter, sicut si interrogatus fueris, quæ sit causa vel ratio, cur DEUS sit æternus, ex sententia Cajetani rectè responderis, propterea esse æternum, quia sit omnimodò immutabilis.

## QVÆSTIO VIII.

### *De divisione finis in finem Cujus & Cui.*

1. Dividit Aristoteles 2. de anima finem in finem Cujus & Cui. Hanc divisionem reprehendit *Timpler. l. 3. Metaph. cap. 2. quest. 41.* Ratio ejus est hæc: Quidquid est id, cujus gratia aliquid est, id est finis Cujus. Omnis finis est id, cujus gratia aliquid est. E. omnis finis est finis Cujus, & per consequens male dividitur finis in finem Cujus & Cui.

B

2. Sed